

183973



D. nam. Westholer's jul. 1905.

U

L

V

E

≡

4.500.

PROPOSITIONES

EX

UNIVERSA THEOLOGIA DOGMATICA,

QUAS

LABACI IN ÆDIBUS DIVÆ VIRGINI IN
COELOS ADSUMTÆ SACRIS

ANNO ÆRÆ VULGARIS MDCCLXXXI.

MENSE SEPTEMBRI, DIE

PUBLICE PROPUGNANDAS SUSCEPERUNT

V. P. PLACIDUS ROSMANN, & R. F. MARCEL-
LIANUS VODNIKH, Seraphici Ordinis Minorum
Strict. Observ. SS. Theologiæ Studentes.

(Valentin?)

PRÆSIDE

P. F. VICTORE BRATTUSCH,
Ejusdem S. Instituti, & Facultatis Lectore Generali.

LABACI,

LITERIS JOANNIS FRIDERICI EGER.

153973

153973

Profundum Fidei, si scrutemur, turbulentum quidem est, tranquillum vero, si simplici animo contemplemur; non enim patitur profundum Fidei, quod est aqua oblivionis, ut curiosis cogitationibus illud contemplemur. Simplicitate ergo intelligentiæ in aquis ejus navigamus, ut sic ad portum voluntatis Dei perveniamus. Diadoch. Photic. L. de perfect. Spirit. c. 22.

Sine dubio tenendum, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit; omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei. Tertul. L. de Præscript. Hæret. c. 21.



AP 811/1969

1. 5
2. 8



I. **E**x quo homo secundum totum suum esse, non sui, sed divini juris, & ut divinus inquit Plato, *Dei possessio est*, inde intelligit, se Deo obstringi *Religionis* officio, quod recta de eo existimatione, & tam inquam externo obsequio demum absolvitur.

II. Religio proinde non a metu hominum, non a causarum ignorantia, non ab astuto Legislatorum ingenio, ut fidenter nimium inculcant cum Mirabauda Increduli, sed nata simul cum homine, ab illo ipso, qui hominis existit plasmator, originem traxit.

III. Ea, quatenus ratione sola definitur, etsi vera fit, & sancta, presenti tamen hominum naturæ curandæ, & ad felicitatem suam perducendæ, haud sufficit.

IV. Inde oritur in Religionis negotio *Revelationis* necessitas: quam existere ex hac ipsa necessitate, juncta divinæ erga humanum genus providentiæ, velut a priori, e doctrinæ vero sanctitate, fulgore miraculorum, & impletis Prophetarum vaticiniis, tamquam a posteriori demonstramus.

V. Revelationem perperam jactat Secta tam Pagana, quam Muhammedana; non sic Ecclesia Hebræa.

- VI. Sed revelationes Hebræorum novam spondent Legem, novumque Legislatorem, & pleniorē, uberiorēque revelationem.
- VII. Quæ quum impleta re ipsa sint per JESUM Christum, patet Judaïsmum nunc evanidum esse, & superstitosum.
- VIII. Continentur igitur divinæ *revelationes* in Libris quum V. tum N. *Testamenti*, quos Sacrosancta Tridentina Synodus *sacros & canonicos* pronuntiavit.
- IX. Scriptura sacra comitem nacta est Divino-Apostolicam *Traditionem*, tamquam alterum divinæ revelationis fontem.
- X. Sed neque Scriptura, neque traditiones, aliter, quam legitima interpretante potestate, indubia Fidei sunt norma.
- XI. Hinc Christus dedit Verbi Dei, quum scripti, tum traditi, non modo Custodem, sed & Interpretem, ac Judicem *Ecclesiam*,
- XII. Quæ sola, sive per Orbem terrarum dispersa, sive in Conciliis Oecumenicis legitime congregata, perpetuo sibi adstantem habet Spiritum veritatis, nullique in Fidei, & Morum controversiis finiendis errori est obnoxia.
- XIII. Et vel hinc manifestæ falsitatis redarguuntur eæ omnes Religiones, quæ, quum ceteroquin Christiano nomine gloriantur, relicto legitimo Verbi Dei Interprete, & Judice, Scripturam vel ex humana ratione, vel ex privato interpretantur spiritu.
- XIV. Existere *DEUM* non modo ex revelatione prædictis characteribus conspicua, verum etiam ex naturali ratione contra *Atheos* luculentum est.
- XV. Hunc ipsum unicum esse, & immultiplicabilem, & fide iterum divina certissimum tenemus, & naturali ratione contra *Polytheos* demonstramus.
- XVI. Miramur propterea, detestamurque, quum cœcæ Gentilitatis vesanam Idololatriam, seu coluerint Idola ipsa, seu Idolis infidentia Numina, tum alterum Marcionis, Manichæorumque *Deum*, natura sua *malum*, & malorum auctorem.

- XVII.** Est autem Deus Ens a se, necessarium, spirituale, simplex, immensum, omniscium, liberum, immutabile, omnipotens, verbo: *Ens omni perfectionum genere infinitum, quod ita cogitatur, ut aliquid, quo nihil melius sit, atque sublimius, quodque independens sit a quovis alio, ceterorumque omnium origo, gubernator, & finis.* S. Aug. Lib. I. de Doctr. Christ. c. 7.
- XVIII.** Alucinati itaque sunt Anthropomorphitæ, Deo non aliam, quam humanam adtribuentes formam, cum Spinoza Pantheistæ, Deum cum Universo hoc impie confundentes, M. Varro, qui Deum dixit animam Mundi, alique non pauci ejusdem furfuris.
- XIX.** Nec ferendi Sociniani, Arminiani, & Beaufobrius, quod contendant, quæstionem de Dei spiritualitate adiaphoram esse.
- XX.** Eadem Scriptura Sacra, quæ tam luculenter testatur, Deum esse, eumque unicum, perspicue non minus contra Sabellianorum, & Socinianorum errorem tradit, tres esse in unitate Essentiæ divinas Personas, realiter invicem distinctas:
- XXI.** Quod *Ss. Trinitatis mysterium*, licet humanæ rationis captum transcendat, neutiquam tamen cum eadem configit, quod post Ethnicos, & Judæos imperite admodum garriverunt Sabelliani, hodieque garriunt Sociniani.
- XXII.** *Filium* itaque cum Conc. Nic. contra Arianam, & Socinianam hæresim, profitemur esse *Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum consubstantialem Patri.*
- XXIII.** Quod dogma Divinitatis Verbi, refragentur licet cum Episcopo Remonstrantes, firmiter adeo, constanterque confitendum pronuntiamus, ut nemini citra salutis dispendium fas sit illud deserere.
- XXIV.** Defendimus dein adversus Macedonianos, quos de more sequuntur Sociniani, *Spiritum S.* quoque divinam esse Personam, Patri, Filioque *Ὁμοῦστος*.
- XXV.** Qui a Filio, non minus, quam a Patre, vere, interneque procedit.

XXVI. Hic ipse Deus, cujus unitatem in trinitate, & trinitatem in unitate veneramur, sua omnipotenti virtute simul ab initio utramque de nihilo condidit creaturam spirituales, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam. Conc. Lat. IV. cap. Firmiter de summa Trinitate.

XXVII. *Mundus* iste perfectus omnino est in suo genere, non tamen absolute perfectissimus, & omnium possibilium optimus, utut post Platonem hodie adhuc contra mussitent Optimistæ.

XXVIII. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* 2. Pet. 2. quorum tamen plurimi in aere caliginoso degentes sexcentis nocendi artibus hominibus insidiantur.

XXIX. Angeli vero, qui servaverunt suum principatum, in gratia confirmati, etiam gloria nunc fruuntur, ut recte contra Origenem definitum in V. & VI. Synodo generali.

XXX. In horum Hierarchia IX. Chori numerantur, atque ex unoquoque Ordine Angeli interdum ad nos mittuntur, quum in ministerium Dei, tum in custodiam hominum.

XXXI. Ab Angelis ipsis paulo minus minoratus primus omnium hominum effectus est *Adam*, universi humani generis *Protoparens*.

XXXII. Fecit autem Deus hominem *ad imaginem & similitudinem suam*, rectum justitia originali, gratia sanctificante illustrem, inexterminabilem, ac omnigena rerum scientia ornatum,

XXXIII. Quem, sicut & res omnes creatas, quantumvis minimas, velint nolint fateri Theistæ, adoranda sua providentia, & gubernatione, nunquam destituit.

XXXIV. Lapsus tamen *invidia diaboli* est homo, lapsuque suo universam humani generis massam, heu quantum scævavit! non exemplo solum, ut placuit olim Pelagianis, sed reali peccati transfusione.

XXXV. Cum peccato protoparentum reliqua quoque corruptio in Filios est propagata; inde enim cuncti nascimur Filii iræ, supernaturalibus omnibus bonis spoliati, & malis quibusvis obnoxii,

XXXVI.

XXXVI. Imminutum tamen lapsu, non penitus extinctum est liberum hominis arbitrium.

XXXVII. At Deus, cujus natura bonitas, infelix humanum Genus, statim, atque damnationi æternæ evasit obnoxium, in spem veniæ erexit, *Messiam* promittens, a quo liberaretur.

XXXVIII. Promissio hæc Protoplastis primum facta Gen. 3. Patriarchis dein, & Prophetis multoties renovata, per Descendentes Abrahamæ usque ad Epocham Christianam est propagata;

XXXIX. Eaquepropter nemo unquam absque fide in divinitus promissum liberatorem æternam salutem consequi potuit.

XL. Hunc jam dudum advenisse evincunt impleta Jacobi Patriarchæ Gen. 49. Danielis 9. Aggæi 2. & Malachiæ 3. vaticinia.

XLI. Idipsum pleniore in lumine collocant præsens exilium, dispersio, & excœcatio Judæorum, cessatio Levitici Sacrificii, exterminatio Idololatriæ, & Gentium denique omnium ad veri Dei cultum peracta vocatio.

XLII. Eundem esse JESUM NAZARENUM, qui dicitur CHRISTUS, convincunt characteres, de Messia per Prophetas enuntiati, qui eidem soli, & quidem exactissime conveniunt.

XLIII. In Christo Jesu divinam, humanamque naturas per veram *unionem hypostaticam* coaluisse in unitatem suppositi eximie contra pertinaciam Socinianorum testatum reliquit Joannes Evangelii sui c. 1. dicens: *In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum . . . Et Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis,*

XLIV. Quod mysterium omnium maximum, etiam rationi imperivium, non tamen repugnans est.

XLV. Fuit autem *Caro* Christi non phantastica, & umbratilis, ut post Cerdonitas, Marcionitas, & Manichæos falso opinati sunt Quackeri, non e cœlo delata, nec sumpta aliunde, sed originem materna trahens ex carne, anima rationali informata, & dolori, ceterisque humanis adfectionibus, seclusa tamen omni pravitate, & perturbatione, ad mortem usque obnoxia.

XLVI.

XLVI. Defendimus itaque contra Eutychen *geminas* in Christo, & inconfusas *naturas*, divinam scilicet, & humanam, *duas* item contra Monothelitas *naturales voluntates*, duasque *operationes*, *unam* denique contra Nestorium *personam*, non unitate morali, sed reali, & physica.

XLVII. Sicut autem unica in Christo est persona, ita non duo, sed unicus Patris est *Filius*; non adoptivus, sed *proprius*,

XLVIII. Idemque Filius Matris: quæ ideo jure *Quæritus* est adpellata,

XLIX. Ac singulari inter Matres prærogativa Virgo ante partum, in partu, & post partum permanfit, quidquid obganniant Helvidius, Bonofus, aliique Marianæ integritatis hostes.

L. Quemadmodum vero natura humana nonnisi *in concreto*, ut ajunt, & ut hypostatice unita Verbo, supremo Patriæ cultu adoranda est, ita *communicatio Idiomatum* in Christo in concreto contra Nestorium admittenda, rejicienda contra Lutheranos in abstracto.

LI. Christus Dominus, in ea, quam pro nobis adsumfit, humana carne, pœnas peccatis nostris, tam originali, quam actualibus, debitas sustinuit, vereque nos redemit, numerato pretio, quod præsertim Sacrificio Crucis solutum fuit.

LII. Mortuus autem est pro nobis liberrime, non obstante mandato Patris, & mortuus non tantum pro prædestinatis, quod placuit Calvino, sed pro omnibus omnino hominibus, pro prædestinatis quidem peculiariter, ast sufficienter etiam pro reprobis.

LIII. Factus propterea verus *Mediator* Dei, & hominum, actiones humanitatis ad cumulatifsimæ satisfactionis dignitatem elevante Verbo.

LIV. Mediationi huic principi, ac primariæ frustra pavent Hæretici, ne obsit *Mediatio*, & *invocatio Sanctorum*, quum omne horum meritum, omnisque intercessio uni Christi inimitatur virtuti.

LV. Eos

LV. Eos proinde suppliciter invocare, colere, & venerari, non modo a superstitione quavis alienum, verum pium etiam, religiosum, ac utile est.

LVI. Religiose non minus, liciteque veneramur, ut re ipsa majores nostri jugiter venerati sunt, sacras Sanctorum Imagines, Reliquias, & Exuvias, Signum Dominicæ Crucis, ceteraque sacratissimæ Passionis Instrumenta; qui tamen cultus respectivus duntaxat est, totusque refertur ad prototypa, quæ illa representant.

LVII. Novus Dei, hominumque Mediator, repudiata Synagoga, & abrogato veteris Legis jugo, *novam Ecclesiam*, seu Societatem colentium Deum instituit, usque ad finem Mundi duraturam, cui Leges saluberrimas præscripsit.

LVIII. Ecclesiæ ab se institutæ contulit *potestatem clavium*, seu auctoritatem ligandi, & solvendi, determinandi, ac ferendi Leges, decidendi controversias, cogendi privatione bonorum spiritualium, & exclusionem e Societate, seu excommunicatione.

LIX. Imperium hoc Apostolis concedidit, præ ceteris *PETRO*, cui & supra reliquos Apostolos, & supra universam Ecclesiam *Primum*, non solum *Honoris*, verum etiam *Jurisdictionis*, contulit.

LX. Potestas collata Petro, & Apostolis ad eorum Successores ex Christi institutione transit.

LXI. Præter Apostolorum Principem, cujus locum defacto tenet Romanus Pontifex, & Apostolos, quibus in Ecclesia succedunt Episcopi, Christus designavit & alios **LXXII.** Discipulos, quibus succedere Presbyteri secundi ordinis. Inde in Ecclesia *Hierarchia*.

LXII. Est autem Ecclesia, a Christo instituta, Cœtus hominum, ejusdem Christianæ Fidei professione, eorundemque Sacramentorum communionem colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum, & præsertim Romani Pontificis ejusdem in terris Vicarii.

- LXIII. Germani ejus characteres, quibus ab adulterinis discernitur, quosque in Protestantium Cœtibus incallum quæras, sunt *Unitas, Sanctitas, Catholicitas, & Apostolicitas.*
- LXIV. Ecclesia hæc suo gremio complectitur neque solos justos, quod volebant Novatiani, Pelagiani, & Donatistæ, neque solos Prædestinatos, quod visum Wicleffo, sed insignes etiam peccatores, ipsosque reprobos;
- LXV. Non tamen excommunicatos, Schismaticos, aut Hæreticos; qui, si publici sint, neque ad animam, neque ad corpus ejusdem pertinent.
- LXVI. Christus in Ecclesia ab se fundata, sublata carnalium sacrificiorum varietate, unum pro omni victima *Corporis, & sanguinis sui Sacrificium* instituit,
- LXVII. Quod non modo latreuticum, & eucharisticum, sed etiam propitiatorium, & impetratorium est.
- LXVIII. Sacrificium istud, ceu nobilissimam Patriæ externæ speciem, quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum, neque Sanctis tamen, neque pro Sanctis offert Ecclesia, sed Deo tantum, qui illos coronavit :
- LXIX. Offert autem rectissime, semperque obtulit pro omnibus Fidelibus, pro decedentium hinc justorum animabus, nondum plene purgatis, pro Infidelibus, & excommunicatis nonnisi indirecte, nullo modo pro finaliter damnatis.
- LXX. *Missæ* eo nomine *privatæ*, quod in iis nemo præter Mystam communicet, licitæ sunt, quia neque Christi præcepto, neque antiquæ Ecclesiæ praxi contrariæ.
- LXXI. Nova autem *vocationis gratia* per Christum humano Generi hoc modo exhibita, *Fides explicita* non solum Dei existentis, & retributoris,
- LXXII. Sed etiam Incarnationis, & Trinitatis, est cuiusvis homini ad salutem consequendam absolute necessaria.

LXXIII. Quinimmo ne interna quidem Fides, quantumvis plena, sufficit ad salutem, sed tenetur interdum Christianus ex divino præcepto eandem exterius confiteri, numquam vero negare, aut falsam quamcunque Religionem, ad veram occultandam simulare.

LXXIV. GRATIA Christi, *adjutrix*, & interna gratuitum est, quod vocabulum ipsum innuit, Dei donum, quod naturæ viribus nemo mereri potest, situm non modo in illustratione mentis, sed vel maxime in motione voluntatis, seu inspiratione sanctæ dilectionis.

LXXV. Ipsam, contra Pelagianos, Semipelagianos, hodiernosque Protestantes, *necessariam* esse dicimus ad initium, progressum, consummationem operum salutarium, ad primos quoque piæ credulitatis, adfectus, & ad singulos actus meritorios, etiam hominibus justis.

LXXVI. Gratia hæc, quantumvis *efficax*, creatam libertatem non tollit, sed perficit potius, quidquid olim contra visum fuerit Prædestinatianis.

LXXVII. Præter efficacem autem gratiam admittenda est etiam in hoc, quo vivimus, naturæ lapsæ statu alia gratia interior *sufficiens*, qua præceptorum divinatorum observatio vere possibilis sit.

LXXVIII. Hæc, quum parata sit omnibus, justis quidem, conantibus, & volentibus præceptum aliquod observare numquam deest, ast non deesse eam interdum aliis, peccatoribus præsertim excœcatis, & obduratis, Infidelibus negativis, & parvulis, antequam renascerentur, denatis, de fide non est.

LXXIX. Alterum post medicinalem Christi gratiam salutis obtinendæ medium sunt *Ss. Sacramenta*, quorum VII. cum perpetuo, constantique Ecclesiæ sensu confitemur, *Baptismum*, *Confirmationem*, *Eucharistiam*, *Penitentiam*, *Unctionem Infirmorum*, *Ordinem*, & *Matrimonium*.

LXXX. Sacramenta hæc omnia divinæ Christi sunt institutionis, & omnia pariter, ubi obicem non inveniunt, gratiam conferunt *ex opere*, ut ajunt, *operato*.

- LXXXI. Baptismus, Confirmatio, & Ordo, præter gratiæ collationem, indelebilem etiam *Charactere*m, unde iterari nequeant, animæ imprimunt.
- LXXXII. Etsi ad Sacramenti valorem neque probitas, neque fides Ministri necessaria undequaque sit, nulla tamen, irritaque est ea Sacramenti ministratio, qua quis joculari ludificatione, Mimorumque more ritum externum ponit, quin illum ipsum sacrum facere virtualiter saltem intendat.
- LXXXIII. Sunt autem Baptismus omnibus, & pœnitentia post Baptismum lapsis, Sacramenta necessaria necessitate medii.
- LXXXIV. Sacramentum Baptismi a quovis, & solo homine viatore, & in quavis aqua, modo naturali, valide confertur.
- LXXXV. In almo Eucharistiæ Sacramento vera fit *transsubstantiatio* totius panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, qui sub speciebus illis manet etiam extra usum, & communionem.
- LXXXVI. *Sacramentalis*, integraque peccatorum mortalium, post susceptum Baptisma commissorum, *confessio*, Juris est, non humani, ut perperam buccinantur Novatores, sed divini, & pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ.
- LXXXVII. Horum nullum tam grave est, ut virtute Clavium Ecclesiæ, modo cetera adsint, remitti nequeat.
- LXXXVIII. Fit autem *Justificatio* impii non sola externa peccatorum remissione, Deive favore, non justitiæ Christi, aut essentialis diviniæ, per fidem apprehensæ, simili imputatione, sed justitia ex meritis Christi in ipsum derivata, seu habituali gratia, & caritate quæ in corde ejus diffunditur per Spiritum S.
- LXXXIX. Qua homo interius innovatur, & peccata non teguntur, sed vere tolluntur, itaut prorsus deleatur, quidquid maculæ mortalis rationem habet. Quorum proinde peccatorum alia sunt *mortalia*, alia *venialia* natura sua.
- XC. De hac justitia nemo in præsentī vita positus, absque speciali revelatione certus esse potest certitudine Fidei, sed ne alia quidem, cui nequeat subesse falsum.

XC. Non est ipsa æqualis in omnibus justis, non propria electo-
rum, & stabilis, sed semel obtenta & augeri potest, & amitti,
reque ipsa amittitur per quodvis peccatum mortale.

XCII. Homo justificatus ita per gratiam Dei implere potest Le-
gem, ut *opera* ipsius vere sint *bona*, nec dici debeant peccata,
sordes, & inquinamenta animæ.

XCIII. Immo quum non modo veteris, sed novi etiam Testamenti
promissiones a conditione pendeant implendæ Legis, opera bo-
na etiam in hoc statu necessaria sunt ad salutem.

XCIV. Bona hæc justorum opera recte vocari *merita* ex Scripturis
etiam demonstramus: unde *fastuosum* non est, ut contendunt
Heterodoxi, nomen *meriti*, quando tanta est Dei erga homines
bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.

XCV. Quid quod fiducia Sanctorum, quam in Deo constituunt,
non ex fide sola, quod contendunt illi, sed etiam ex bonis ope-
ribus, & meritis nasci probetur? Hæc igitur summo studio
quærenda nobis sunt, ut fiduciam apud Deum invenire possimus;
enimvero

XCVI. *Statutum est hominibus semel mori* Hebr. 9; idque in pœnam
primigeniæ labis.

XCVII. Non perit autem cum corpore, ut falso fingunt Incre-
duli, rationalis animus, sed manet superstes, perpetique vita
præditus, atque compage corporis soluta *particulare* Dei *Judicium*
e vestigio subit.

XCVIII. Et justorum quidem animæ, quibus nil superest purgan-
dum infirmitatis humanæ, in possessionem cœlestis felicitatis
absque dilatione mittuntur.

XCIX. Animabus, quibus, aut venialis noxa, aut temporalis pœ-
næ reatus, hinc migrantibus adhæret, eluendum est, antequam
ad fruitionem beatitatis admittantur, quicquid superest, *Purgato-
rii* pœnis.

C. *Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, penis tamen disparibus puniendas, jam pridem sapientissime definivit Conc. Flor. in Decr. Fidei.*

CI. Finem Mundi, quem Pater posuit in sua potestate, præcedent signa in sacris Litteris passim prænuntiata, subsequetur vero generalis *divisio*, in eadem, quæ morte dissolvitur, numero carne.

CII. Hanc excipiet adventus tremendi Judicis, in ea, quam pro nobis adsumit, humana natura, & *universale* Angelorum, hominumque *Judicium*.

CIII. Fabulis porro accensendum est mille annorum Regnum, quod beatos, resumto corpore, in hoc Mundo cum Christo fruituros finxerunt olim *Xristiani*; nam

CIV. *Vera* hominis felicitas, & *beatitas* ex nullo creato, sed ex solo increato, & summo bono, quod Deus ipse est, consurgere potest.

CV. Hunc clare videri posse naturali intelligentiæ vi, stultissima arrogantia fabulati sunt olim Aëtius, & Eunomius, ac post Anomæos Beguardi, & Beguinæ.

CVI. Minus arroganter, sed tamen damnabiliter, opposito huic errore irretiti Armeni cum Palamitis, & Græcorum nonnullis contendebant, Deum ab intellectu creato, ne superno adjuto lumine, ut in se est, videri posse.

CVII. Videbunt itaque beati in Patria Dei essentiam, & quidem intuitive, sed videbunt circumfusi, & adjuti *lumine gloriæ*; nec tamen comprehendere poterunt.

CVIII. In Deum intuitive visum summo ferentur amore; & hinc mirifica orietur eorum cum Deo consensio, unio, & essentialis beatitas.

CIX. Felicitas hæc beatorum, & quantacunque ad hanc porro accedit, quidquid post Jovinianum contendant Lutherani, inæqualis erit, pro meritorum inæqualitate, *perennis* tamen omnibus.

CX. Verum quale est (quærit merito Augustinus Lib. 21. de Civ. Dei c. 23.) æternum supplicium pro igne diuturni temporis existimare, & vitam æternam credere sine fine? quum Christus eodem ipso loco, in una, eademque sententia utramque complexus sit: ibunt isti (reprobi) in supplicium æternum; iusti autem in vitam æternam. Æternæ itaque, velint nolint Impii, erunt damnatorum pœnæ, tum damni, tum sensus.

O. A. M. D. G.



... (mirrored bleed-through text from the reverse side of the page)

O. A. M. D. G.



TO
L
G
L
B



